

non monent, non interrogant circa obligationes status, peccata omissionis et alia, quae ad integritatem Confessionis pertinere ipsis debet esse percipuum, sed expleta criminum enarratione Absolutionis formam illico proferunt.

Alterum; Ut si contingat, sicut frequentius quidem contingere solet, Confessarium in suo Ministerio aliquid audire, quod examine opus habeat, caveat, ne divinando definiat, sed antequam responsum praebet, tempore congruo et consilio rem expendat. Neque in dubiis controversiis propriae adhaerescat opinioni, sed evolvat non unum, sed plures libros, inter istos consulat praestantiores, postea amplectatur illam sententiam, cui magis suffragari rationem et auctoritatem favere cognoverit.

Tertium: Ut Confessarii semper ob oculos habeant effatum Venerabilis Cardinalis Bellarmini: *Non esset tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi*, et indignos aut defectu doloris, aut defectu efficacis propositi non vitatae occasionis proximae sed defectu satisfactionis non absolvant.

Quartum monitum satisfactionem attingit, in qua arroganda Confessarii juxta Instructionem Catechismi Romani nihil sibi suo arbitrio statuendum esse, sed omnia iustitia, prudentia et pietate dirigenda existimabant. In opere